

vum in actum aliquem deducitur, verè delectari peccatis, ita quidem, ut procedente etate, ne gravissimis quidem cohortationibus, comminationibus & pœnis, à peccatis abduci se patientur.

99. Præterea si peccatum hoc ex naturâ suâ pensitatur, aliud quàm voluntarium dici non potest: nã. 1. à voluntate vitiosa suū sumsit originem. 2. voluntati ipsi tanquam subiecto inhaeret. 3. Eo nondum tenati delectantur, ubi voluntas concurrat, necesse est.

100. Quòd porro & Daventria & Cochleus, & reliqui Censores Pontificij grunniunt, peccatum hoc pœnæ potius respectum, ratione nostri obtinere, ita ut iniquum videatur, si alio graviore supplicio sit luendum, respondemus rursus cum D. Augustino, idem atque unum posse esse & peccatum, & pœnam peccati ac causam peccati: id quod vel maxime ex peccati Originis naturâ, de qua hæctenus dictum, est manifestum: id quod infra thesi 125. verbis Augustini declarabimus.

101. Ceterùm etsi naturâ suâ malum hoc originis lethale est omnibus, eternam mortem inferens: hunc tamen suum effectum minimè consequitur in ijs, qui per Aquam & Spiritum renascuntur: qui renovantur Spiritu mentis suæ: qui deniq; ex vetustate Adami in novos homi-

homi-